✠

EGREDIMINI, ET VIDEBITIS PARADISUM VOLUPTATIS, PRETIOSITATIS, ET AMOENITATIS: FLUVIALIBUS LYMPHIS LONGE, LATEQUE QUATERNE REDUNDANTEM: FLORIGERA VARIETATE MIRE CONSITUM: WANDALAM PLAGAM, MINORUM EPARCHIAM SUAVI COELESTIS SPIRITUS AURA CONGREGATAM, UNITAM;

quæ dum novum Cherub Custodem, fidelem Ministrum, à Deo destinatum, prælectum, ad Seraphicum voluptatis Xystum stativo communiendum præsidio, conscientiæ, & scientiæ capisterio ex millibus eligere tentat, dulcisonum utriusque Epithalamium metricè cantat.

Dulciter ore sonat laudes ex pectore Præsul.
Vandala plaga Deo, dulciter ore sonat.
Prospera cuncta tibi, paterno more gubernans;
Obediensque, dabo, prospera cuncta tibi.
Fœdera grata nitent, si sic nectamus in unum,
Perpetuumque decus, fœdera grata nitent.

¶ FLO

FLORESCENS, ALACRIS, ET JUBILANS aquas de ſapientiæ fonte propinat; & florum Faſciculos, quos ex ſuo diſcerpit Viridario, ad refocilandos, quos allicit animos, offert.

IGITUR PRO FAUSTA PLAUSIBILI Capituli celebritate, quatuor clariſſimi Concionatores, veluti totidem ſcaturientes amnes, ex illo, qui de minori terra aſcendebat, fonte, quadrino Panegyris eloquii imbre, totum Paradiſi ambitum perenniter irrigabunt.

TRESQUE JUBILATI MAGISTRI ternarios Florum, quos ex ſcientiæ ligno, ſcientiarum apis, Theologiæ phœnix ſubtiliter Faſciculos legit N. V. Marianus Doct. ſuaviter proponent, ſubtiliter defendent.

EMISSIONES HUJUS SERAPHICI Paradiſi plauſibiles videbitis à die 15. menſis Maii, uſque ad 18. & generoſis Athletis floridam, paratam, fulcitam Palæſtram per eaſdem luces, in terra noſtra, latiſſimo Cœlo, Magna Domo, Regalique Conventu Hiſpalenſi Plagifero Franciſco, Regularis Obſervantiæ ſacro. Anno Domini 1739.

FLU-

AGITE JAM
ITERUM EGREDIENTES,
VENITE, ET VIDETE
REGINAM NOSTRAM,
QUAM LAUDANT ASTRA MATUTINA,
CUJUS PULCHRITUDINEM SOL, ET LUNA
MIRANTUR:
IN MEDIO SERAPHICI PARADISI,
QUASI PULCHERRIMAM ROSAM
COELITUS PLANTATAM:
COELESTIS PARADISI LÆTITIAM,
SOLAMENQUE MALI, EX MALO MALE SUASA
MULIER IN MUNDUM INVEXIT, PER EVAM
LUXIT, LUXIT PER MARIAM; ILLA SIQUIDEM
LATAM LETHI, LUCTUSQUE PORTAM PARAVIT, HÆC
LÆTAM LUCIS, ET VITÆ VIAM AMPLIAT,
CANTIONE TURCIANA:

Sola fuit Mulier, patuit, qua janua letho;
Et, qua vita redit, sola fuit Mulier.

HÆC EST
SS.MA VIRGO MARIA,
IN PRIMO SUÆ CONCEPTIONIS
INSTANTI AB ÆTERNO VÆ ORIGINALIS MALEDICTIONIS LIBERA,
PLENA, ET SUPERPLENA GRATIA;
De cujus plenitudinis exundantia, affluentia respersa omnis reviviscit creatura, quam Sacra Minorum caterva faustricem veneratur Patronam.

Huic ergo Sacratissimæ Reginæ hæc sua Wandala Minorum Provincia, in Congressu Capitulari unita, fausta augurans, hos Theologicos florum Fasciculos ex N. Subt. Doct. Viridario collectos, ad asylum tantæ protectionis cordicitus D. O. S.

PRIMUS FLORUM FASCICULUS.

P*LANTAVERAT autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.* Genes.cap. 2. Supposita veritate Fidei: de Paradisi existentia, descriptionem illam Paradisi litteraliter intelligendam esse cum Doct. in 2. distinct. 18. autumamus; ità quod Paradisus est locus realis, & corporeus; non quidem totus orbis terrarum, ut aliqui dixerunt, sed locus particularis intra illum; aliter, quomodo verum esset, quod *Emisit Deus Adam de Paradiso, ut operaretur terram, de qua sumptus est?* Hic locus conveniens erat quietæ, & tranquilæ hominum habitationi, licèt de ejus situ certo nil certò resolvi possit. Sicut nec de ejus amplitudine; etsi aliqui tribuant illi duodecim leucarum circuitum; alii amplitudinem Regni non parvi; in his ergo nil certiùs incertitudine ipsa. Lignum vitæ, scientiæque boni, & mali non dicitur tale, quia habebat virtutem conferendi immortalitatem, sed tantùm longiorem vitam; nec scientiam, nisiab eventu peccati comestionis, post quod *aperti sunt oculi eorum.*

§.

V*IDIT igitur Mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & tulit de fructu illius, & comedit.* Genes. 3. Per hanc comestionem graviter peccaverunt primi Parentes. Hoc peccato omnes Adæ posteri coinquinati nascuntur; quia *omnes in Adam peccaverunt*, juxta Apostolum (unâ exceptâ Virgine gloriosâ; *non esse suæ intentionis, declarat Sancta Synodus, comprehendere hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem, sed observandas Constitutiones Sixti IV.* ex Trident. sess. 5. Peccatum Evæ fuit ex se gravius Adæ peccato, non autem ex circunstantiis excellentiæ, scilicèt, & dignitatis personæ; *tradita enim fuit Adæ justitia originalis tanquam digniori, circunspectiori, & fortiori*, concludit Marianus Doct. in 2. dist. 21. Peccatum veniale non solùm potuit esse conjunctum cum justitia originali, & Gratia sanctificante, sed de facto ita evenisse, probabile censetur ab Scotistis. Constitutivum formale peccati actualis est privatio rectitudinis debitæ in esse actui. *Peccatum habituale personale primario, & per se est ipsa transgressio physicè præterita, & moraliter perseverans*; quæ erit conclusio, prima luce, ad vesperam tuenda.

Hos Flores olfacere faciet P. Fr. FRANCISCUS NUÑEZ, in Divi Bonaventuræ Hispalensi, & in Majori SS. Apost. Petri, & Pauli Universitatis Complutensis Collegio Alumnus, sub sole, luce, & calore sapientæ R. P. Fr. JOANNIS SEVILLANO, Lectoris Jubilati, & actualis Provinciæ Definitoris.

ECCE

ECCE HOMO,
MISSUS A DEO, CUI NOMEN JOANNES, DE ANGELORUM COETU, ANGELICA HEPTA, QUEM TULIT DOMINUS DEUS, ET POSUIT IN PARADISUM VOLUPTATIS, LATISSIMAM MINORUM, MAJORUMQUE PLAGAM, UT CUSTODIRET ILLUM, MIRIFICUS OPERATOR.

VIGILANTISSIMUS, OBSERVANTISSIMUS HORTUS SUI ZELATOR, QUI AMICO FOEDERE SOCIANS PIETATIS CULTUM, MORUM PURITATEM, IN AGENDIS PERFECTAM, OMITENDISQUE COELESTEM PRUDENTIAM, IN EXPEDITIONIBUS RECTAM JUSTITIAM, PANE VITÆ, ET INTELLECTUS SUBDITOS CIBAT SUOS; AQUA SAPIENTIÆ POTANS ILLOS; ET IN SPIRITU ORIS EJUS OMNIS VIRTUS EORUM.

IN AULIS MINERVÆ FLORENS APPARET, UTI ILLUD *ENCYCLION* EX OMNIBUS SCIENTIARUM MEMBRIS COMPOSITUM; SED PRÆ OMNIBUS IN MYSTICA EXPERTUS SAPIENTIA; UT SIC PRÆSIT PISCIBUS MARIS, MINORUM MAGNI; ET VOLATILIBUS COELI, UNIVERSÆQUE TERRÆ SERAPHICI PARADISI, DOMINANS A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS ORBIS TERRARUM, FORTITER OMNIA DISPONENS, SUAVITER CUM ÆQUALITATE.

HIC EST LUCERNA LUCENS, ET ARDENS,

R.^MUS P.N.F.^R JOANNES BERMEJO,

IN SACRA THEOLOGIA LECTOR JUBILATUS, IN REGIA SYNODO PRO Inmaculatá Conceptione deputatus Theologus, & in toto Orbe Seraphico, Paradiso latissimo, Antistes dignissimus.

HUIC ERGO VENERANDO PARENTI, hæc sua semper dilectissima Provincia Bætica, in aliqualem sui filialis amoris, gratitudinis, & lætitiæ manifestationem, hos Flores ex semper florenti N. Doct. Subt. viridario, ut magis redoleant, A.O.S.

SECUN-

SECUNDUS FLORUM FASCICULUS.

V*OCAVITQUE Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?* Genes. 3. *Verba increpantis, & ad confessionem cogentis, & non ignorantis sunt hæc.* Gloss. interl. Quia *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Hebr. 4. Quapropter dari in Deo scientiam, & intellectum, de fide tenetur; & ratio ipsa suadet: omnem enim perfectionem simplicem in ente infinito per essentiam ponendam, infinitas ipsa cogit. Ex gradu immaterialitatis non demonstratur efficaciter intellectivitas primi entis, sed ex ratione primi efficientis. Tam intellectus, quàm voluntas sunt attributa Dei. Attributa Divina inter se, & ab essentia distinguuntur actualiter formaliter ex natura rei. In Deo datur scientia per modum actus primi. Deus certò cognoscit omnia entia creata, & creabilia in se ipso, seu in sua essentia, non tamquam in causa; nec, ut est idæa illorum; sed, ut in objecto priùs cognito. Nihilominus probabile videtur aliquibus Scotistis, illa cognoscere in essentia, tanquam in specie impressa.

VO-

§.

VOCAVIT *Dominus Deus Adam*, quia *quos prædestinavit, hos & vocavit.* Rom. 8. Unde in Deo dari æternum decretum prædestinationis, de fide est contra negantes æternam Dei Providentiam. Prædestinatio est electio creaturæ rationalis ad gratiam, & gloriam. Licèt actus intellectus Divini concomitetur Prædestinationem, solùm in actu Divinæ voluntatis formaliter consistit. Deus ab æterno absoluta Prædestinatione elegit suos ad gloriam gratis, sive ante meritorum prævisionem. At quia Marianus Doct. propositis, tam pro hac, quàm pro contraria opinione, rationibus ansam dedit suis, *ut eligatur, quæ magis placet; dum tamen salvetur Divina libertas, sine aliqua injustitia*, probabiliter defenditur ab aliquibus Scotistis, absolutam, & efficacem prædestinationem ad Beatitudinem factam à Deo fuisse post absolutam prævisionem meritorum. Necessariò fatendum est cum Apostolo, Deum velle salvare omnes. Circa qualitatem hujus Divinæ volitionis, secunda luce, ad vesperam erit tuenda Conclusio: *In Deo datur voluntas seria salvandi omnes immediatè terminata ad eorum Beatitudinem.*

Horum Florum astabit pervigil custos P. Fr. DOMINICUS MARTINEZ, in Seraph. Doct. D. Bonav. Hispalensi Collegio alumnus, tutante, dirigente R. P. Fr. JOANNE GALAN, Lectore Jubilato, & in Conventu Matris Dei Ursaonense Præside in Capite.

PLAU-

PLAUDE TURBA PAUPERCULA,
PATRE DITATA PAUPERE,
ET PATRONIS EXCELSA EXCELSIS;
EXULTA, ET LAUDA,
HABITATIO SION PARVA,
QUIA MAGNI IN MEDIO TUI, QUOS,
UT CHERUBIM FORMA VISIBILI, ET
SPECTABILI, QUA IN PROPITIATORIO EXPRESSI
fuerunt, collocavit Deus (apud Hay.) ante Paradisum voluptatis, flammeum gladium, atque versatilem in manibus tenentes, potestatis, ad custodiendam viam, & vitam hujus
Seraphico-Bæticæ Cohortis.

SED QUORUM EST IMAGO HÆC,
ET SUPERSCRIPTIO?

EXCELLENTISSIMORUM DD. DD.
EXC.MÆ D.D. ANNÆ NICOLASÆ
DE GUZMAN, DAVILA, ROXAS,
MANRIQUE DE ZUÑIGA,
FERNANDEZ DE CORDOBA,
Marchionisæ de Astorga, de Velada, San Roman, Ayamonte, & Villamanrique; Comitisæ de Saltes, Chantada, Sta. Marta, Villalobos, & Nieva,
Dominæ de Bellotoro, &c.

ET SUI EXC.MI NEPOTIS,
EXCELL. D. D. BONAVENTURÆ
OSSORIO DE MOSCOSO,
PHELIPEZ DE GUZMAN,
DAVILA, ROXAS, HURTADO DE MENDOZA,
FERNANDEZ DE CORDOBA,
Comiti de Altamira, Marchionis de Leganes, Ducis de Sanlucar la Mayor, Principis de Aracena, Domini Septem Villarum de Campos, &c.

HIS

HIS ERGO ORATIONE NUNQUAM ſatis laudandis noſtræ Provinciæ Patronis, qui ſoluto ſinu, veluti Cherubin habitantes in ea parant in dulcedine Pauperibus alimoniam, Minores ſui Bætici filii, in gratitudinis ſignum, hos Florum Ramos demiſsè offerunt, & hilariter libant.



TER.

TERTIUS FLORUM FASCICULUS.

F*ACIAMUS hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. Ex hoc colloquio, seu locutione mutua benè suadetur Beatissimæ Triados Mysterium, unius, scilicèt, naturæ, sive essentiæ indivisæ in pluralitate Personarum. Tres sunt, quæ testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Persona Divina in esse personæ formaliter constituitur per relationem; ita quod Divinæ Personæ primò, & essentialiter constituuntur, & inter se distinguuntur per relativas formalitates, ut relativæ sunt. Inter Personas Divinas dantur veræ, & reales Processiones: hæc sunt duæ; nec plures, nec pauciores esse queunt. Processio Verbi Divini ex sua ratione formali differt à Processione Spiritus Sancti. Processio Verbi Divini, sicuti Spiritus Sancti productio, sunt actus diversi, & distincti distinctione formali ab intellectione, & volitione essentiali.

§.

SED *fons ascendebat de terra* , *&c.* Genes. 2 Ex quo , *& fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.* In hoc egressu perbenè indicatur Divini Verbi processio ex fontali Principio Patris Æterni : sicut in Paradisi irrigatione per aquas processio Spiritus Sancti , qui datus est nobis per gratiarum irrigationem. Verbi productio est generatio , non verò Spiritus Sancti processio. Verbum procedit naturaliter, Spiritus Sanctus liberè , libertate essentiali. Solus intellectus fœcundus est principium formale *quo*, & immediatum generationis Verbi ; spirationis Spiritus Sancti , sola voluntas Divina , ipsis relationibus, ut conditionibus, ingredientibus. Circa pricipia objectiva Divinarum processionum divisi sunt DD. tertia luce, ad vesperam erit hæc defensanda Conclusio : *Verbum Divinum procedit ex cognitione tantùm essentiæ Divinæ.*

Hos Flores in sua viriditate viriliter conservabit P. Fr. STEPHANUS CASTAÑO , in Seraph. Doct. De propaganda Fide *Collegio Alumnus , sub umbra, & protectione R. P. Fr. PETRI PRUNA , Lectoris Jubilati, & in eodem Collegio emeriti Præsulis.*

HISPALI:
Ex Typographia celeberrimæ , ac perantiquæ Universitatis , in vico de las Siete Revueltas.